

Yc  
2613

h. 82. 21.

LAPIS REGIUS,

*Sive*

SERENISSIMI

ATQVE POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DN. DN.

JOHANNIS GEORGII,

Saxon. Jul. Cliv. & Mont. Ducis, Sacr. Rom.

Imp. Archimarschalli atq; Electoris, Landgravii Thu-

ringiæ, Marchionis Misniæ, Burggravii Magdeburgensis,

Comitis de Marcâ & Ravensbergk, Dom.

in Ravenstein, &c.

CUM

*Sereniss. DOMINABUS & Principibus, DOMINA*

*SOPHIA, MATRE, Viduâ, & DOMINA MAGDALENA*

*SIBYLLA, CONIVGE, charissimis, Electricibus, & Ducibus*

*Saxonie, natis Marchionibus Brandenburgicis, Du-*

*cibus Borussiae, &c.*

ET

Illustriss. SOBOLE, ad celeberrimum Fortalitium,

KÜNIGSTEIN, pro initiandâ novâ à Suâ Sereniss. Celsitud.

ibi conditâ, ipsiusq; nomine indigetata arce, quadridui itineris

descriptio, adornata atq; S. S. S. Ipsorum C. C. C.

STRENÆ

loco

Calend. Jan. Anno M. DC. XX.

*Humiliter oblata*

à JOHANNES SEUSSIO, S.

FRIBERGÆ Hermundurorum, Typis Georgij Hoffmanni.

(X2018987)





## LAPIS REGIUS.

**S** I Lapis iste mihi, quo non preciosior alter  
Est lapis, ajo, mihi si foret iste Lapis,  
Hunc TIBI pro Strenâ donarem, maxime PRINCEPS,  
Non Lapidem Livor, non tegetetq; Timor.  
Sed quoniam hoc careo, multisq; carentibus, ille  
Forsitàn incassùm queritur arte Lapis,  
Longè aliussq; Lapis TIBI Regius extat ad Albim,  
Strena TIBI ex Lapide hoc sit fabrefacta Tuo.  
Prisca igitur prisca si Fabula vatibus olim  
Extitit atq; novæ Fabula origo rei:  
Cur mihi non liceat cascis primordia rebus  
Fingere, & hæc pictis effigiare modis?  
Tempus erat, cùm Gens ex orbibus omnibus Orbis  
Titanum inferret bella tremenda Jovi,  
Pelion imponens Ossa, sed & Ossan Olympo,  
Ausa ad Calicolas hæc penetrare viâ.  
Tunc Lapis hic, junctis vicinis montibus, unus  
Mons & Sudetum nomine dictus erat;  
Sudetum, quorum Rex vastâ mole Pyragmon  
Cyclopum Fabris hic sua jura dabat.  
Iste Gigantæis unitus fratribus, ardens  
Ipse quoq; è Mysijs arma movere plagis,  
Immanem hunc scopulum magnâ vi monte revulsum,  
Tormentum veluti missile, in alta jacet.

Quò fertur saxum, vigil in statione tenebat  
Mulciber & Pallas, Marsq; Cyprisq; locum.  
Tres læsi Divi: susceptum aëst egide Saxum  
Excutit adversi Pallas in ora Viri.  
Rex miser obruitur, scopulo recidente, Pyragmon,  
(Sic ipsi jaculum vertitur in tumulum)  
Decidit inq; locum, quo nunc situs! Inde relictum  
Nomen habet Regis Regius hicce Lapis.  
Hinc sacer hic Marti mons factus, sylvaq; montis  
In capite, humanâ non violanda manu,  
Nataq; de Martis Cypridosq; cruore metalla  
Non procul inde suo Mulciber igne cremat.  
Qui velit, hoc credat: Per plurima secula gentes  
Hunc varias, certum est, incoluisse locum.  
Prodite Hermiones, Hermunduriq; Gothiq;  
Vandalici atq; Heneti, Pannonés atq; MysI!  
Dicite, Regalis quoties in vertice Montis  
Impuris cecidit victima cæsa Dijs?  
Inclyta sed proles Witekindi ubi sceptrâ potita est  
Misnica, & in CHRISTI sanguine tincta fuit:  
Diiq; Deaq; omnes gentiles cedere jussi,  
Hæc loca sunt vero cuncta dicata DEO,  
Barbariesq; comes discedere jussa recessit,  
Quamvis non omnem tolleret inde pedem,  
An. 1402, Donec GUILIELMO fasces moderante refugit  
Planitus, & reperit fasq; bonumq; locum.  
Tunc Lapidem nostrum ceperunt cingere pinna,  
Visus & est Lapidis murus obire latus,  
In calum geminae minitantes insuper arces  
Montis in excelso prominuere jugo,

Arces

*Arces BRUNONI possessa nomine dicto  
 A PORTA, insigni nobilitate Viro.  
 Sed quondam hæc steterant! Non invidiosa vetustas  
 Integra, non potuit linquere tempus edax.  
 Acribus ut Thebas vitiauit dentibus ævum,  
 Egit ut in nihilum Pergama celsa dies:  
 Sic hujus Lapidis pinna, sic murus & arces  
 Temporis à sevâ succubuere manu,  
 Et strata jacuere diu! dum SAXO GEORGUS  
 Restituit priscis atria pulcra locis.  
 Templum etiam voluit DUX, primum cujus in ima  
 Cum NATIS Lapidem deposuisse ferunt.  
 Spectaculo huic aderat præstò pia BARBARA Conjux,  
 Rege Jagellono progenerata Patre,  
 Bis sex addiderat Cælesti ex ordine fratres  
 Zittanæ Princeps è ditionis agro.  
 Sed quòd non scansu facilis Lapis arduus esset,  
 Atq; gravi sursùm cuncta trabenda grue,  
 Frigoris intereà locus hic & patria venti,  
 Nocteq; pro Papæ lux nova visa foret:  
 Mansio non placuit, taciteq; per Albida vectis  
 Obtulit hospitium Leucoris alma pium.  
 Ite bonis avibus, monachi! Sine prole GEORGUM  
 Post annos aliquos abstulit atra dies.  
 Hactenus annales, quibus est pro teste vetustas,  
 Rursus ego retuli, quod retulere prius.  
 Pandite nunc Musæ, nitidis quarum omnia ocellis  
 Collustranda oculus PRINCIPIS ipse dedit.  
 Vos meministis enim, quicquid memorabile visum est!  
 Sic ego: deq; novem sic soror una refert:*

An. 1516.  
 die Marga-  
 rethæ.

1524.

1539.

26. Junij,  
An. 1619.

Purpurei finem jam tempora Veris habebant,  
Octipedis Cancrì Sole premente domum,  
Stellarumq̄, diem post Viti, clauserat agmen,  
Undenus roseis Lucifer ortus equis,  
ELECTOR JANUS, DUX SAXO, GEORGIUS illo  
Cui dabat Imperij tempore Bulla vices,  
Hic cum perfectam, veluti mandaverat, arcem  
Dadalea sciret Palladis arte novam,  
Mole sua aërias quæ tangit & aspicit auras,  
ALBIDOS atq̄ humiles despicit alta vias.  
Cui dignam applicuit Symmetria Diva figuram,  
Digna sit ut tanti Principis esse domus.  
Spectatum adducta huc, sibi quæ rarissima in orbe  
Corcula, in augusto suscipit hospitio.  
Prima Electorum Soror, Uxor, Filia, Mater,  
De Brenni præsens stirpe SOPHIA fuit,  
Alterâ chara aderat Conjux MAGDLENA SIBYLLA,  
Brenno-Borussiaci florida Palma soli.  
Tres Nati, AUGUSTO, JANUS, cum fratre, GEORGUS,  
Quiq̄, habet à CHRISTI nomine nomen AVI.  
Et lepida Nympha, SOPHIA ELEONORA, sorore  
Cum MARIA ELISA consociata soror,  
Atq̄ Ducali aliæ personæ ex stemmate nate,  
Nobiliumq̄ globus, Virgineusq̄ chorus.  
Sursum aditus durus, facies horrenda deorsum,  
Grandibus & saxis horret utrumq̄, latus,  
Semita sed tenuis, quæ sentibus obsita quondam,  
Orbita quâ possit, facta, subire, via est.  
Postquam altum in montem perventum est, una patescit  
Porta adversa, uno saltem ineunda modo,  
Quam

Quam chalybe observat noctesq; diesq; coruscans,  
Desuper è vallo prospiciensq; vigil,  
Planicies ingens ingressos excipit, intus  
Efficit in medio sylva comosa nemus,  
Abjete quod piceâ, quod opacum roboris umbrâ;  
Quod radijs agrè Phœbus adire queat,  
Rurâq; non desunt pro frugibus apta serendis,  
Non hortus gignens brassicam olusq; deest.  
Fons aberat, pluvijs & deficientibus undis,  
Non satis Albiacæ suppeditabat aquæ.  
Ergò AVUS AUGUSTUS montem pertundere jussit,  
Undamq; ex imis elicere usq; locis,  
Unde per orgyas multas, hominumq; rotatu  
Antlia combibitas tracta refundit aquas.  
Hic gyrantur equis, vento, ferroq; manuq;  
Quæ benè comminuant subdita farra, mole.  
Quinetiam est Martis reseratum clave sacellum,  
Quod secum armorum continet omne genus,  
Bombardas, fundas, nitidoq; hastilia ferro,  
Et tormenta suis anea juncta globis.  
Quæis tamen haud opus est armis, cum saxa supersint  
Hostis in adversum precipitanda caput.  
Disita non procul est multis distincta tabernis,  
Marticolisq; domus tota habitata Viris,  
Tympana quos, Buxusq; vocant, Vigilmq; magister  
Ex statione suas ducit ad excubias.  
Propugnacla duo lateris dextri atq; sinistri  
Sunt, Cornu hoc dicunt, hoc vocitantq; Gruem.  
Ex solidâ hæc, alia ut circum, sunt rupe cavata,  
Verùm attollendis rebus adapta duo.

Loricæ.

Lorica, pinna, vivoq; sedilia saxo,  
Murorum ingentes appositaq; mine,  
Turricule & vigilum, CHRISTIANI nomine PRIMI  
SAXONIS ENSIGERI sunt monumenta DUCIS.

Königs-  
Nasen.

Regius & Nasus se circumeuntibus offert,  
Stans in projectâ rupe ita dicta domus.

Ch: Chri-  
stians-  
Burgf.

CHRISTIANI ad BURGUM tandem devenimus arcem,  
Augustum Autoris quæ sibi nomen habet.

Spherica forma cui, teretes quæ projicit umbras,  
Intus enim extraq; est tota rotunda domus,  
Tecta rotunda gerit Cypridis fabrefacta metallo,  
Auratum imposuit Cypris & ipsa globum.

Gratum erat hospitium, dum fata DEUSq; sinebant,  
Et DOMINI & SOPHIÆ Conjugis illa sue.

Huc ubi perventum est, stantes procul ipsemet ad se  
Clementi PRINCEPS sic vocat ore Deas:

Ite viâ fessæ! lectumq; cibumq; merumq;  
Præbebit vobis ista rotunda domus.

Dixerat, & dextram quoq; porrigit: Ivimus intrò,  
Et sedata fames, estq; levata sitis.

Clauditur interea tenebris calum, atraq; nobis  
Lumina nox placido victa sopore premit.

27. Juno.

Postera lux oritur sanctæ concessa quieti,  
Quâ spargi in populum dogmata sacra solent.

Tunc pro campanis tonuerunt Martia manè  
Tormenta, & sacra signa dedere rei.

Fit fragor: excutitur somno tota aulica turba,  
Et petit officij munia quisq; sui,

Dom. 5.  
post Trin.

ENSIGERUM & DOMINUM deducit sacra petentem,  
Atria in arce novâ quâ spacirosa patent.

SCHU-



*SCHUTZIUS introitu solito prior incipit, hymnis*

*Incipit excelsum concelebrare DEUM,*

*Davidicumq; melos citharisq; lyrisq; tubisq;*

*Voceq; in eximiam porricit harmoniam.*

*Anxia ad ætherios mea sublevo lumina montes,*

*Auxilium Domini subvenit unde mihi.*

*Hæc ubi conticuit Symphonia, Mysta Jæbove*

*Constitit ad Mensæ pegmata Doctor HÖE:*

*Concio de textu: Ex navi fit concio Christi,*

*Pisce trahitq; Petrus retia plena, fuit.*

*Hunc sat ut explicuit facunda munere lingua,*

*Tandem ad præsentem vertitur ore domum:*

*Nostis, ait, stirpe hæc quot vidit Misnia natos*

*ENSIGEROS, summo Numine dante, DUCES,*

*Omnibus & struere, & proprio de nomine structas*

*Indigetare, fuit maxima cura, domus. (arces,*

*MAURICII, AUGUSTI, CHRISTIANI hinc cernitis*

*Quæ nunc illorum stant monumenta DUCUM.*

*Ergò novi Noster, Majorum more, Palati*

*Dux postquam hoc posuit regia tecta jugo,*

*Jamq; his excepit caram cum CONJUGE MATREM,*

*Primitus & thalami PIGNORA cara sui:*

*Ille quòd has salvas, ille, quòd vivere salvum*

*Hic videant Natum, Conjugem, eumq; Patrem,*

*Latantur pariter, pariter letemur & ipsi*

*Cum Domino Patriæ, cum Patriæq; Patre,*

*Signaq; læticia, JANI ARX hæc dicta GEORGI,*

*Posthæc ENSIGERI nomina magna ferat:*

*Non quòd in hanc nostras, aliamq; locemus in arcem*

*Spes: nobis spes est indubitata DEUS.*

B

Hic

Psal. 121.

Luc. 5.

Churfürst  
Johans  
Görgens  
Burgk.

Hic ELECTOREM nostrum custodit & ambit,  
 Aligeri, servans excubitoris ope.  
 Vivat is! & vivat, donec Lapis iste perennat:  
 Regius, illius mascula POSTERITAS!  
 Dicite, Amen, cuncti, colitis qui corde fideq;  
 DOMUM!  
 ENSIGERUM DOMINUM hunc, ENSIGERAMq;  
 Diximus: Ex templo suavissima Musica claudit  
 Lutheri totum per meletema chorum.  
 Consonuere simul tremuli lituiq;, tubaq;,   
 Tympanaq;, in laudes intonuere DEI.  
 Æthereis epulis ubi corda fuere refecta,  
 Hora erat & coctis ora replere cibus,  
 Dumq;, HEROS ritu juvenem depalmat equestri,  
 Atq;, gerendi ensis jura dat ense dato:  
 Ære cavo litui resonant, & tympana clangunt,  
 Inferri mensis significantq;, dapes,  
 Apportant epulas juvenes, & munera Bacchus  
 Fert sua, fertq;, comes munera flava Ceres.  
 Lympha datur manibus, positas prece consecrat escas  
 Numen, & Antistes sic praeundo rogat:  
 Hanc letam tabulam firma, DEUS, amine leto,  
 Diraq;, mœrorum cedere cuncta jube.  
 Nec mora: discubuere toro DUX, MATER, & Uxor,  
 FILIOLÆ NYMPHÆ, NYMPHÆq;, \* SAXOgenus,  
 CHURLANDUS Princeps, HÖE Doctör, honoreq;, dignos  
 Tali quos habuit Principis aura sui.  
 Structor fercla secat, cyathos pincerna ministrat,  
 Pellunt esca famem, pocula fusa sitim.  
 Dumq;, ita se recreant epulis & corpora curant,  
 Et data festiva gaudia lucis agunt:

Ein feste  
 Burg ist  
 unser  
 Gott.

\* Fräw-  
 lein Anna  
 Maria/  
 Herzogin  
 zu Sach-  
 sen.

Gestit

Gestit dulcè sonans' geniali Musica cantu  
 Exbilarare animos, exbilarare dapes.  
 Conspicuis fidibus citharam ferit alter Jöpas,  
 Et clavicymbli verberat alter ebur.  
 Ille animans chordas setâ percurrit equinâ,  
 Testudo huic digitis suaviter icta canit.  
 Pandura Italica puerili gutture voces  
 Aptat hic, hic Ursi murmura voce boat.  
 Creditur Amphion tali modulamine saxa,  
 Fecisse in muros spontè coire graves,  
 Harmoniâq; aliâ non detinuisse volucres  
 Orpheus & sylvas, flumina, saxa, feras.  
 Congeminant plausus, ferit aurea sidera cantus,  
 Effusos referunt atria longa sonos.  
 Accrescit sensim satus inter vina susurrus,  
 Totaq; jucundis personat aula jocis.  
 Tunc PATER ELECTOR magnum cratera poposcit,  
 Rhenigenoq; jubet ritè replere mero,  
 Quandoquidem, dicens, domus hæc nova nomine nostro  
 Gaudet, tam caris gaudet & hospitibus:  
 Hunc letum sine nube diem nobisq; meisq;  
 Leticia ipse DEUS, qui dator, esse velit!  
 Utq; hujus possint olim meminisse minores,  
 Nec memori Vobis hoc citò mente cadat:  
 Circumeat crater, ait, hic, cratereq; sumto  
 Libavit laticem DUX prior ipse suum.  
 Tum reliquis dedit increpitans; quisq; impiger hausit,  
 Pro DUCIS ENSIGERI quisq; salute bibit,  
 MATRIS & UXORIS, SOBOLISq; salute tenellæ,  
 Totius ENSIGERÆ proq; salute DOMUS.

Pro libitu repetunt alij solennia pocla,  
Atq; bilares Bromio voce meroque litant.  
Dux tandem à mensâ surgit precibusque peractis,  
Ad latebras pergit quilibet ire suas:  
Musa etiam ENSIGERIS cum parvis suaviter, illis  
Pransa hominum pariter delicijsque Deum,  
Postmodò surrexit, lustravit & undiq; lucum,  
Quicquid & è secli clade superstes erat,  
Fundamen templi, Monachorum inceptaque claustra,  
Multaque diversis antra relicta locis,  
Quae nunc fornicibus ducendis apta parantur,  
Ad propugnacla ut fiat aperta via.  
Despicit utque imum moles nativa profundum,  
Summaque nunc imis inter & ima jugis,  
Quantus horizontis patet ambitus, omnia in unum  
Prospectum secum prospicienda trahit,  
Tot rupes, sylvas & tot spelea ferarum,  
Undiq; prata herbis, messibus arva suis:  
Naviger hic præter placidis it fluctibus Albis,  
Debeat & quòd cras ferre, hilaratur, onus.  
Dumq; ita Naturæ miraculum lumine spectat,  
Ipse superveniens inclytus HOSPES HERUS,  
Seq̃ue sequi mandans ad Cornu constitit altum,  
Quid velit inscribi quo, notat, atque locum.  
Moxque iterum totum montanum circuit orbem,  
CHRISTIANI donec venit adusq; domum.  
Tunc murale suâ tormentum dirigit, atq;  
Accensum exonerat proxima in arva manu.  
Devexo interea propior fit Vesper Olympo,  
Indicat & cana tempus adesse tuba,

Hinc

Hinc precibus fufis iterum convivia, manè  
Quo fuerant, arcis sunt celebrata loco,  
Et datus in mensâ Musæ locus, ENSIGER ipse,  
Cui DUX hospitij pocula ferre dedit.  
Læticia est similis, similis quoq; Musica, nullus  
Atria conspicitur per laqueata dolor.  
Et jam roriferis volitabat lutea bigis  
Luna, & Stellato flammeus ordo polo,  
Ecce! suos ludos faciens Vulcanus in auras  
Projicit ignivomas sulphureasque faces,  
Protinus à precibus, bipatentes arce fenestras  
Occupat à mensis tota regressa cohors.  
Igniti volucres, glandesque feruntur in altum,  
Inque alto borrendo dissiluere sono,  
Designantque viam flammis, tenuesque recedunt  
Et redeunt: penetrat sidera celsa fragor.  
Quinetiam flammata vomunt mortaria diros  
Igne globos: passim sparsa favilla cadit.  
Fit sonitus: sonitus montis de vertice pastor  
Horret ad auditos, attonitusque tremit.  
Noctis erat medium jam fermè, & plaustra traherat  
Serò Lycaonius bobus onusta senex.  
Surgitur ad somnos, Bacchiq; cubilia letus  
Et Cereris largo munere quisq; petit,  
Donec flammiferum revehentis ab equore currum  
Adduxit roseum Solis equile diem.  
Tunc vigil ELECTOR se matutinus agebat,  
Et sub discessu, quid velit, ipse jubet.  
Ante abitum tamen ULOREM, duxitq; PARENTEM,  
CHRISTIANI in BURGUM, PROGENIEMq; suam.

B 3

Post:

28. Juno.

Post ea discessum est: pedibus descendimus omnes,  
 Prævius horrendam Dux capit ipse viam,  
 Nos legimus longo præeuntis in ordine plantas,  
 Desuper angustæ per salebrosa vie.  
 Roborat alternos hic querno stipite gressus,  
 Ne ruat; hic genibus, repit at ille manu.  
 Devenimus tandem declivo tramite fessi  
 Albiacæ ad ripas lenè tonantis aquæ,  
 Dumque HEROINÆ lentis à monte feruntur  
 Quadrigis, parvæ nos tenuère mora.  
 Suspiciamus Lapidem, quem nullo excindere ferro  
 Titanes reduces, vel violare queant,  
 Brachia sint illis quamvis centena, manusque  
 Centenæ, in manibusque omnibus arma ferant.  
 Subjacet oppidulum, simili quod nomine dictum,  
 Billia quodque suis rivus inundat aquis,  
 Billia ferrigenis fornacibus undiq; plena,  
 Cyclopumque ferens balnea grata Fabris.  
 Jamque aderant SOCRUS atq; NURUS, PROLESq; reuècta,  
 Circùm Matronis conglomerata pÿs.  
 Undiq; visendi studio ruit obvia passim,  
 Turba hominum, Matres, cum Puerisque senes,  
 Ut videant DOMINUM, DOMINAS, parvosque NEPOTES,  
 Totius Patrie Spes Columenque sua.  
 Königstenij cives humili, sua dona placentas  
 Pectore pars, alij dulcia liba ferunt.  
 Quatuor ex omni delectæ classe carinæ  
 Stabant ad ripas, spumifer Albi, tuas,  
 Bellica turrita proris tormenta gerentes,  
 Tegmen erat cupro de viridante tribus.

Die große  
 Bille-  
 bach.  
 Eisen-  
 hammer.

Hec

Hæc Leo, sed Canis hæc dicta, Unique tertia Cornu,  
Furva culinicolis quarta referta coquis.  
Insonuere tubæ, strepitumque cavata dedere,  
Ambo super geminas tympana postæ rates,  
Ingreditur MATER, CONJUX, SOBOLÉSQUE Leonem,  
Atque Gynacéo portitor ille datur.  
Vestibulo astabat PRINCEPS, quosque ipse vocari  
Jusserat, bisce dedit dicta carina locum.  
Summus inquit Mystes, Podalirius intrat, & unâ  
Secum Pierides ire volebat HERUS.  
Post, ubi, quos voluit, fuerant à nave recepti,  
Et reliqua in reliquas aulica membra rates,  
Stans celsâ in puppi, retinacula solvere, naves  
A terrâ in medias trudere mandat aquas.  
Machina navalis reboat, mox navita & omni  
Quisque suam pellit de statione ratem.  
Sic pariter solvere, Leo præcedit; ab arce  
Ut vidit DOMINUM Mars remeare suum:  
Inter cuncta minas & propugnacula fumant  
Tormenta, appostis exonerata focis,  
Terribilesque sonos streperis edentia cannis,  
Ætherij simulant fulmina sæva Jovis.  
Sub pedibus mugire solum, visusque moveri  
Mons circum, & subtus quassa tremiscere humus.  
Alternis vicibus responsant classica nostra,  
Tormenta, & junctis tympana pulsa tubis,  
Consonat omne nemus, strepitum conclusa remittunt  
Littora, & acceptum concava saxa sonum.  
Regali hoc Lapidi valedictum à Classe triumpho,  
Dictum arci veteri sic vale, sicque nova.  
Provehimur.

Provehimur: ripa, sylva, vallesq; recedunt,  
Leta serenati nos juvat aura poli.

Ad latus ENSIGERI lembo comitata Leonem  
Nerëidum vitreum Musica mulcet iter.

Spectatum accurrunt Fauni, Satyri atq; Napea,  
Inter Hamadryades Thestylis atq; Ceres,  
Pisarum siliquas, Ideaq; mora, celoce,  
Cerasa, butyrum, fragaq; lacq; vehunt.

Innumeros circum infantes, classemq; sequentes  
Fert minor assueta per vada linter aqua.

Adq; natant, teneris remos subiguntq; lacertis,  
Atq; suo classi more celeusma canunt.

Fahre  
Schiff-  
lein fahre/  
das dich  
Gott be-  
wahre.

Hanc indonata Clementia passa cateruam  
Non est: cuiq; aliquid PRINCIPIS ere datum.

Septus in bis oris est undiq; rupibus Albis,  
Et nemora innumeris sunt habitata feris.

23. Jul. An.  
1617.

Hic locus ostensus, MATTHIÆ ubi CÆSARI in undis  
Exhibuit lusus leta Diana suos,

Illius ad naves canibus dum nare coëgit  
Cervos, atq; sacrâ tela referre manu.

Zum  
Ratten.

Cum jam præter erant Rattena scrupea vecti,  
Atq; ruinosis utraq; Wehla casis,

Exiguas mediata dies contraxerat umbras,  
Inq; pari metâ Vesper & Ortus erant.

Tunc sparsam mandat PRINCEPS conjungere classem,  
Atq; sibi atq; suis prandia facta dare.

MISENUS tubicen, terno & cava tympana bombo  
Desuper in solito personuere loco.

Conveniunt naves, firmantur dente, culina,  
Exponit sapidas per tabulata dapes.

ENSIGERO



ENSIGERO in mediâ cum compransoribus alve  
 Structa cibus lautè mensa Leonis erat.  
 Pranserunt alibi reliqui, Navesq; per omnes  
 Et potum & famuli distribuere cibum.  
 Æstus erat, validamq; sitim geminaverat æstus,  
 Poculaq; optabat frigida dira sitis.  
 Mox aderat glacies, cerevisia frigida stinguit  
 Facta sitim, stingunt vina gelata sitim.  
 Edimus & bibimus, post ludimus atq; jocamur,  
 Fudit ubi sanctas sacra Camena preces.  
 Hic horas aliquot postquam requievimus, inde  
 Solvere remigibus signa dedere tubæ.  
 Inter adhuc montes vehimur, salebrosaq; tesqua,  
 Et Latomis inter cognita saxa viris,  
 Verum ubi saxipara superavimus ardua PIRNÆ  
 Culmina, Camporum lata theatra patent,  
 Quos intercurrit tot honoribus inclytus Albis,  
 Albis odoriferis fultus utring; thoris.  
 Hic pagus venit hic, venit illic alter & alter,  
 DOHNA venitq; suis sumen & uber agris.  
 Si procul aspicias, ora supereminet ora:  
 Si propè, gramineo cuncta tapete virent.  
 Candet ut argentum hic; ager hic flavescit ut aurum:  
 Est ager ille seges; ille novalis ager;  
 Et nemora alternis inter frondentia campis,  
 Pomiferiq; horti, vitigenaq; plage.  
 Defluimus: pars hæc oculis tot amœna tuetur;  
 Et pars dilectæ virginis ora sue;  
 Pars piæctis ludit folijs picqueta; parata est  
 Risum per lepidos pars animare jocos.

C

Phylliden

Pbylliden ille suam, cantatq; Amarylliden ille,  
 Huic bibitur fuso sed Galatæa mero.  
 Pars Sobolem illustrem ludicro pascit inani,  
 Illi quâq; potest arte placere, placet.  
 Hæc in diversâ ratiùm dùm parte geruntur,  
 Fallat ut undosæ tædia quisq; vie,  
 Sera repercusso nituere crepuscula Phœbo,  
 PILNITII & nobis tecta fuere propè.  
 Tympana PILNITIUM, tormenta, tubaq; salutant,  
 HOSPITEM & hunc magnum non procul esse no-  
 Incumbunt remis, ripisq; advertere proras (tant.  
 Nititur absq; omni nautica turba morâ.  
 ENSIGER egreditur! JOACHIMUS LOSSIUS illi  
 Obvius, excepit cùm reverenter HERUM,  
 (Aurea quem Pallas, quem LOSSIUM & aurea Peitbo  
 Formavit genium PRINCIPIS esse sui.)  
 Se nunc dignari tanto testatur honore,  
 HOSPITIBUS tantis, Pilnitiumq; suum,  
 Quanto dignati mortales esse feruntur.  
 Diq; Deaq; borum cùm subiere lares.  
 Porrigit ELECTOR dextram, comitatus & omnis,  
 Perq; hortos ducti Lossia tecta petunt.  
 Fit strepitus: lucent aureis tota atria lychnis,  
 Exhibet egregias cœna parata dapes.  
 Accubat ELECTOR, MATER, cum CONJUGE, PROLES,  
 Atq; Gynæceum, Nobiliumq; cœbors,  
 Seq; cibo recreant potuq;: at Solis ob æstum  
 Plurimus in lasso corpore languor erat,  
 Noxq; propinquabat: tandem suadentibus umbris  
 Fessa ferunt stratis membra fovenda thoris.

Tertia.

*Tertia purpureos aurora revexerat ortus,  
Et Strophio abluerat nubila queq; suo:  
Surgunt. At DOMINUM demissa LOSSIUS, antè  
Ut sua dignetur prandia, mente rogat.  
Annuat: hinc ades sacra spectantur, & horti,  
Postmodò & hortorum visitur omne decus,  
Ambit quos firmus longo munimine murus,  
Quorum vite latus luxuriante nitet.  
Suprà, infrà ad latera & laxissima pergula jungit  
Xysta racemiferis undiq; tecta plicis.  
Quòd si ferventes capiti defendere soles,  
Lumine si tenebras præ radiante velis:  
Purpureus gratam præbet tibi pampinus umbram,  
Quo Bacchi trichylas implicuere manus.  
Hic Labyrinthèis est condita vinea gyris,  
Regressum ingressis quæ sinuosa negat.  
Angulus omnis habet Bromij, mediumq; sacella,  
Quæ requiem fessis deliciasq; ferunt.  
Subjacet arboribus magna area consita latis,  
Quarum in quincuncem porrigit ordo situm.  
Non desunt Ficus, Cyparissus & Indica Ficus,  
Hic ager Hesperidum, malaq; Meda parit.  
Areolæ mille hic, topiaria mille virescunt;  
Quæ circa buxum tonsile fronde comat,  
In varias formas olitor mutare quod ausus,  
Quadrupedes referant ut simulacra feras.  
In quibus effulgens vernanti sirmate Chloris,  
Floraq; floriferos laxat amœna sinus,  
Unde rosas, Tulipas, Narcissos, nobile & omni  
Tempore quod florum est, florea messis habet.*

29. Jun.

Hispida & hic Cinara est potanti dulcis Jäccho,  
 Quasq; herbas alias proma culina petit.  
 Ingeniosa manus fontes quoq; fecit, in herbis  
 Sic vigor ut maneat, floribus atq; viror.  
 Hoc aqua ceu speculum se fingit in aëre fonte,  
 Hoc cervus currens ejaculatur aquas.  
 Fit globus ex alio, vibratur & haeret in auris  
 Fonte alio & recidit, quò fuit antè, globus.  
 Hortorum est custos Fortuna atq; inclyta Fama,  
 Est Vigil Alcides, estq; Minerva Vigil!  
 Utq; terant tempus, sua sphaeristeria Pallas  
 Hic habet, Alcides hippodromumq; suum.  
 Omnia lustrabat perreptans singula PRINCEPS,  
 CONJUX, cum NATIS Virginibusq; PARENS:  
 Qualiter Alcinoi bifervis errabat in hortis  
 Rex Ithacus pulchrà cum duce Naustcaë.  
 Marmore structa domus, nitidis decorata tabellis  
 Albidos ad ripam praterentis erat.  
 Illic extructis conviviva splendida mensis  
 Esse, atq; illustri vina parata choro,  
 Cùm medio celi Sol igneus orbe micaret,  
 Tympana cum claris admonuere tubis.  
 Accumbit PRINCEPS, CONJUX & MATER & Hospes,  
 Mystaq; cum cœtu Nobiliore, DUCIS.  
 Inter at Æaciden, & Thesea, Pirithoumq;  
 Ex aliâ, teneros, parte Camœna sedet.  
 SCHUTZIUS hic Orpheus MICHAEL lepidusq; MÖLICHUS  
 Diffundunt reliquo cum grege dulce melos.  
 Cum Florâ Pomona venit: tulit illa corollas,  
 Hec vera & ficto schemate poma tulit.

Deniq;

Deniq; tam CELSIS non LOSSIUS hospes omittit,  
 Quod putat HOSPITIBUS posse placere JUIS.  
 Et jam leticijs passim aulica turba fremebat,  
 Cùm displosa via machina signa dedit.  
 Se levat ELECTOR, fiuntq; vialia vota,  
 ENSIGERUMq; Leo panda carina capit,  
 Et geminam Cybelen, quarum altera MATER, at illa  
 CONJUX, cum NYMPHIS FILIOLISq; vebit.  
 Hic alij tereti plaudunt cava tympana ligno,  
 Flatu alij complent irrequiete tubas.  
 DUX cum MATRE diem ludo ducebat, ut omnis  
 Leticie plenum, mellis & esset iter.  
 Est nemus abjetibus densum, Penëja dicas  
 Tempe, quod liquidis basiat Albis aquis,  
 Non procul à DRESDA, nemorum Latonia custos  
 Illud Menaliã præ regione colit.  
 Hic lepores, currum Diva hic cerviq; trabentes,  
 Hic cum capreolis cervaq; tuta latet.  
 Hanc ubi delatus summus VENATOR ad oram  
 Et fuit, ipsius formaq; visa fuit:  
 Profiluere omnes magnaq; feraq; minores,  
 Saltibus & DOMINUM demeruere suum.  
 Has prætervecti DRESDENSI allabimur urbi,  
 Stabat & ante oculos deliciosa Domus,  
 Quam nunc molitur PRINCEPS, supraq; marina,  
 Tritones, auro fulgida monstra natant.  
 Pax ubi se Marti, Mars & (mirabile) Paci  
 Nititur aeterno jungere connubio,  
 Intus & Heroum statuae sunt atq; Dearum,  
 Vestita & Patrio est marmore tota domus.

Das  
Thän-  
nicht.

Hic Musa ad DOMINUM reverentèr dicere capit,  
In mediâ postquam constitit ille rate:  
Quas TIBI, SEPTEMVIR, DUX clementissime, dignas  
Pro calidi hoc grates imbres favoris agam?  
Quòd mihi Regalem Lapidem, Lapidisq; decoram  
Ædem, atq; in Lapide hoc cuncta videre datum est:  
Quòd mihi Concilio huic misceri contigit, hujus  
Quòd comitem illustris contigit esse via:  
Hoc opus omne TUUM est! Vestro de Culmine felix  
Hæc, quæ subjectam me rigat, aura venit!  
Vive diu! floreq; diu! TIBI ludere sano  
CONJUGE cum liceat, cum GENITRICE diu!  
Qui tamen, ut MATRIS crescat benedictio, ludus  
Non ferat huic damnum, sed ferat usq; lucrum.  
Vivite, DUX, MATER, CONJUX! Jubar hocce diei,  
Quo vestrum Titan exhilaravit iter,  
Eripiant nulla nubes, non horrida celum,  
Tempestas nitidum commaculare queat!  
Nec tantum VOBIS, sed & ille NEPOTIBUS æther  
Rideat, & vestram diligat ille DOMUM!  
Dixerat. At votum hoc obliviscentibus annis  
Ne cecâ fugiens nocte senecta tegat,  
Hæc JANI chartis intexuit acta CALENDIS,  
Texere ut à Phœbo docta Parente fuit,  
